

hæc consecutio non sufficit, ut suspensus a beneficio sit suspensus ab Ordine; ergo neque id sufficit, ut restitutus ad unum, censeatur restitutus ad aliud; tum etiam quia interdum permittitur beneficium dari ad sustentationem propter Ordinem jam susceptum, ne clericus mendicare cogatur. Nam etiamsi non exerceat Ordinem, potest et canonicum officium recitare, et aliud ministerium cantandi, vel inserviendi Ecclesiæ exercere. Et ob similem rationem dispensationem ad omnes Ordines, si aliud non addatur, non necessario includit dispensationem ad beneficia Ecclesiastica, præsertim illa, quæ prælationem vel jurisdictionem habent, quia etiam tales effectus sunt diversi, et non ita connexi, ut ablato uno censeatur alius ablatum; quod in particulari melius explicabitur in sequentibus.

4. *Etiam de facto potest dispensatio conferri a Papa.* — Ultimo advertendum est, hæc, quæ diximus, procedere in dispensatione verbali, seu expressa. Potest autem aliquando dispensatio fieri facto ipso, quasi in actu exercito; ut si Papa sciens aliquem esse irregularem, illum ordinet, vel litteras dimissórias concedat, cum eo dispensare censeatur, quia non est credendus Pontifex agere contra jus, cum possit in jure dispensare. Unde cum talis dispensatio Pontificis, etiam sine causa facta, valida sit, absolute per illud factum dispensare censeatur. Quapropter sic ordinatus, non solum Ordinem, sed etiam usum Ordinis sic suscepti recipit, et restituitur ad usum inferiorum Ordinum, propter regulam positam, quod nemini conceditur usus superioris Ordinis sine usu inferiorum. Nihilominus tamen ex vi illius facti non censeatur ille homo dispensatus ad ascendendum ad superiores Ordines, quia ut ille actus legitime fiat, hoc necessarium non est, neque aliunde habet connexionem cum tali facto. Denique si tale factum ex ignorantia irregularitatis fiat, non potest esse indicium dispensationis, quia non est indicium voluntatis, quia ignorantia causat involuntarium. Atque ita omnes docent, sumiturque ex his quæ in simili diximus de absolutione a censura per factum Pontificis.

5. *Quid de inferioribus Pontifice.* — *Opinio affirmans.* — Negavimus tamen illo loco Episcopum posse absolvere ab excommunicatione etiam sibi cognita, per solum factum, quod hic majorem dubitationem habet. Nam multi censent, posse Episcopum dispensare in

irregularitate sibi cognita, per simile factum, dummodo supponatur in eo potestas. Ita tenet Glossa, in cap. ult., dist. 51, verb. *Qui concubinas*, et Glossa, in cap. Si qui sunt, dist. 81. Et sequitur Navarr., cap. 25, n. 74; et Sylvest., verb. *Irregularitas*, in ultimis verbis, ubi idem censet de Prælo quocumque habente potestatem dispensandi in irregularitate, et mittente ad suscipiendos Ordines subditum, quem scit esse irregularem. Et idem tenet Antonin., in tract. de Irregular., cap. 6, num. 45; Maiol., lib. 5, cap. 15. Ratio est, quia per illud factum indicatur sufficienter voluntas dispensandi, tum quia etiam inferior non præsumitur agere contra jus, si potest jure facere; tum etiam quia si in Pontifice Summo illud est sufficiens signum, id est ex natura talis effectus moraliter considerati; ergo eadem ratione in Episcopo erit sufficiens signum. Aliunde vero non est prohibitum jure positivo Episcopis dispensare hoc modo in irregularitate; nullibi enim extat tale jus; ergo est sufficiens illa dispensatio. Et hinc constituitur differentia inter excommunicationem, et irregularitatem, quia jure Ecclesiastico declaratum est, Episcopum non posse absolvere a censura per actiones excommunicationi contrarias, ut supra suo loco vidimus; quod non est circa dispensationem in irregularitate declaratum. Addit nihilominus Navarr. sententiam hanc procedere in foro conscientie, non vero in foro exteriori. In quo censet constituendam etiam esse differentiam inter Papam et inferiores Episcopos. Et reddit rationem, quia dispensatio a Summo Pontifice data sine causa, est valida, non vero data ab Episcopo. Sed hæc ratio solum concludit, quamdiu alias constiterit Episcopum non habuisse legitimam causam dispensandi, vel illam ignorasse, aut non considerasse, talem dispensationem non valere, quod verum existimo. Si autem oppositum constiterit, non video cur talis dispensatio sit rejicienda, etiam in foro exteriori. Solum ergo videtur posse constitui differentia inter forum internum, et externum, in hoc, quod in interno sufficit, ut non constet de causæ defectu, quia subditus præsumit superiorem recte agere; in externo necessarium erit causam probare, si res in examen afferatur, ut latius tractat idem Navarr., in c. Si quando, de Reser., excep. 10, num. 3, et alia de hac tacita dispensatione, quæ minus practica et moralia sunt, videri posse in Maiolo, supra, num. 8 et 9.

DISPUTATIO XLII.

DE IRREGULARITATE CONTRACTA EX ALIQUO DELICTO CIRCA USUM SACRAMENTORUM.

Explicata doctrina communi, descendimus ad singulas irregularitates, quæ variis modis distribui solent. Quidam illas revocant ad tria membra, scilicet ratione delicti, ratione sacramenti, aut ex defectu, sub quibus varia membra distinguunt, ut videre licet in Soto, dist. 25, quæst. 4, art. 2. Alii dividunt in quinque membra, scilicet, ex defectu animæ et corporis, ex defectu lenitatis et sacramenti, et ex delicto, ut videre est in Navarr., num. 492. Alii vel rejiciunt irregularitatem ex defectu animæ, vel tantum constituunt unam speciem ex defectu personæ, sive illa sit corporis, sive animæ, quod postea examinandum est. Alii omnem irregularitatem dicunt esse ex defectu alicujus boni, unde juxta quatuor honorum genera, animæ, corporis, famæ et fortunæ, non incommode in quatuor species partiuntur, et sub defectibus animæ, delicta, et nonnullos defectus, qui peccata non sunt, comprehendunt. Sed quia in ordine ad doctrinam moralem magis differunt duo genera irregularitatum ex delicto, vel sine illo, ideo hæc partitione uti visum est, et prius dicere de irregularitatibus ex delicto, quas ad tria capita revocabimus. Primum erit de peccatis commissis contra Ordines. Secundum de aliis gravioribus vitiis. Tertium erit speciale de homicidio propter peculiarem illius rationem.

SECTIO I.

Utrum contrahatur irregularitas per indebitam baptismi susceptionem.

1. *Prima conclusio.* — *Maiolus rejicitur.* — *Corollarium primum.* — *Corollarium secundum.* — *Corollarium tertium.* — Duplex est usus sacramenti, passivus, scilicet, et activus, et de utroque dicemus. Prima ergo assertio sit, per iteratam receptionem baptismi irregularitatem incurri. De hac re late dixi, in tom. 3, disp. 31, sect. 6, ubi ostendi, hanc irregularitatem esse in jure expressam, et non incurri nisi intercedat delictum, ideoque excusari quoties propter ignorantiam, et bonam fidem culpa excusatur, quod etiam nunc verum censeo, licet oppositum teneat Maiol., lib. 3, cap. 44, qui nullum affert jus,

in quo talis irregularitas sine culpa sit satis expressa. Addidi etiam, quando quis ita permittit exterius se iterum baptizari, ut non habeat intentionem suscipiendi sacramentum, sed solum se liberandi ab aliquo timore, vel aliquid simile, non incurrere hanc pœnam, sive alioqui peccet in ea permissione, sive non, quia illa non est formalis rebaptizatio ex parte recipientis cum tali intentione; pœna autem illa restringenda est ad formalem rebaptizationem, sicut pœna imposita hæretico ipso jure restringitur ad formalem hæreticum exteriorem, id est, qui ita exterius significat se negare fidem, ut interius etiam neget. Quo fit, ut multo minus incuratur hæc irregularitas, quoties quis recipit secundum baptismum sub intentione conditionata, si fortasse prior baptismus validus non fuit, etiamsi contingat id fieri imprudenter, et sine sufficienti ratione dubitandi, ac denique cum gravi culpa. Nam hæc culpa, vel est diversæ rationis ab illa, quæ est in formali rebaptismo, vel est ita imperfecta in illo ordine, ut simpliciter non possit dicere baptizatio; nam illa conditio appositae in intentione tollit animum et spiritum rebaptizationis. Denique hinc constat, irregularitatem hanc non esse impositam propter veram susceptionem alicujus sacramenti inique factam; nam ille secundus baptismus, per cujus susceptionem contrahitur hæc irregularitas, non est sacramentum; tamen quia est in injuriam prioris baptismi, et fidei, ideo huic crimini adjuncta est talis irregularitas.

2. *Corollarium quartum.* — *Corollarium quintum.* — Ex quo obiter colligitur, si quis sæpius rebaptizetur, sæpius incurrere hanc irregularitatem, quia quoties multiplicatur culpa, propter quam jure ipso imponitur pœna, toties incurritur similis pœna, ut tractando de Censuris diximus. Et declarari potest, quia si quis post primam rebaptizationem pœnitentiam agens, irregularitatis dispensationem obtineret, postea vero in simile crimen laberetur, iterum etiam irregularitatem contraheret, quia vere violat legem, per quam talis pœna ipso facto imponitur, nam rebaptizatio non dicit tantum secundam baptismi acceptionem, sed tertiam et quartam, et in quocumque numero post primam. Ergo, etiamsi prima irregularitas non fuisset ablata, contraheretur secunda, quia non repugnat habere simul duas censuras vel impedimenta solo numero diversa ex causis distinctis. E contrario vero infero ex dictis, si

contingat aliquem erronea conscientia rebaptizari, putans vere fuisse antea baptizatum, postea vero constet vel omnino non fuisse antea baptizatum, vel ex aliquo defectu essentiali primum baptismum fuisse nullum, illum non esse irregularem, quia nunquam secundo baptizatus est, quia donec sit verus baptismus vere receptus, non potest esse in re ipsa iteratio baptismi; ergo nec poena ejus. Nec refert, quod quis habuerit animum rebaptismi, quia ille processit tunc ex conscientia erronea, et in effectu non habuit verum actum externum sibi conformem.

3. *Conclusio.* — *Prima exceptio a conclusione rejicitur.* — *Maiolus.* — Dico secundo: extra rebaptizationem non contrahitur irregularitas per susceptionem baptismi cum quacumque culpa, dummodo a Catholico ministro accipiatur. Probatur, quia nullus alius est in jure expressus; solum oportet examinare nonnullas exceptiones. Prima est de suscipiente fide baptismum, quem manere irregularem affirmat Maiol., lib. 3, cap. 7. Sed non ostendit jus, nec videtur ratione subsistere, quia aut loquitur de fictione contraria valori baptismi, vel tantum effectui ejus. De priori non potest verificari illa sententia, quia sic baptizatus non manet baptizatus; non ergo manet irregularis, sed tam incapax Ordinum sicut antea erat. Nec potest perfecte recedere a tali fictione, donec iterum vere ac legitime baptizetur; quod si hoc faciat, nulla irregularitate impeditus manebit propter prius delictum, quia neque in jure lata est, neque in eo statu erat capax irregularitatis, sicut neque Ordinis. Si vero loquatur de altera fictione, et de propria irregularitate (ut plane loquitur, quia negat tolli per poenitentiam), oportet, ut ostendat jus, in quo sit expressa; nam impedimentum quod per poenitentiam non auferitur, et naturale non est, sed legale, admitti non debet, nisi fuerit in jure expressum.

4. *Maioli objectio.* — *Solvitur.* — Sed obicit, nam qui differt baptismum usque ad mortis periculum, et tunc quasi necessitate compulsus baptizatur, fit irregularis; ergo multo magis qui fide baptizatur. Antecedens patet ex Concilio Neocæsariensi., can. 12, et habetur in can. 1, dist. 57. Consequentia vero probatur, quia majorem facit injuriam sacramento, qui fide illud recipit, quam qui in necessitate illud digne accipit. Respondetur primo negando consequentiam, quia, ut dixi, argumentum a simili in hac materia nullum

est. Et potest facile assignari diversitas rationis; nam in eo casu non repellitur quis ab ordinatione propter indignam baptismi susceptionem, sed propterea quod fides hominis sic baptizati non videtur fuisse voluntaria, sed ex necessitate, ut in eodem textu dicitur; est autem inconueniens, ut is, de cujus vera fide dubitatur, ad clericatum admittatur; quæ ratio non habet locum in quacumque indigna susceptione baptismi propter aliquod peccatum ad mores, et non ad fidem pertinet. Neque in hoc apparet major ratio de indigne suscipiente baptismum, quam de indigne suscipiente absolutionem aut Eucharistiam.

5. *Secunda exceptio, c. 1, 37 dist.* — Ex illo vero antecedente sumi videtur secunda exceptio, scilicet, quando receptio sit in articulo mortis ex necessitate. Hæc enim ex dicto textu videtur sufficienter probari; nam similiter prohibetur ordinatio hominis sic baptizati, illis verbis, *Ordinari non debet.* Confirmatur ex Cornelio P., ep. ad Fabium, apud Eusebium, lib. 6 Hist., c. 32, ubi refert Novatum fuisse sic baptizatum, et quemdam Episcopum maxime desiderasse illum ordinare. *Quoniam* (inquit) *minime licebat quemquam in lecto propter morbum baptizatum, sicut huic contigerat, in clerum assumi.* Unde hunc casum admittunt Antonin., 3 part., tit. 18, cap. 6, § 2; Angel., num. 53; Sylvest., quæst. 21; et negari non potest, quia plane est in jure expressus. Non tamen videtur esse formaliter propter culpam, sed propter modum suscipiendi in necessitate ægritudinis, et propter quamdam imperfectam fidei et conversionis suspicionem, minoremque Ecclesiæ satisfactionem, quæ inde generatur, licet fortasse dilatio culpabilis non præcesserit, sed per occasionem aliam acciderit, et ita in textu nulla fit mentio culpæ (licet Gloss. aliud sentiat), sed occasionis seu necessitatis. Unde posset hæc irregularitas reduci ad eam, quæ est neophytorum, de qua supra; licet in ea specie sit (ut ita dicam) qualificata; habetque locum in adultis; nam infantes nec culpæ, nec illius suspicionis vel infamiæ sunt capaces, ut recte Glossa notavit.

6. *An in duabus limitationibus dict. cap. 1 requiratur dispensatio, et a quo.* — *Resolutio.* — *An utraque causa requiratur ad hanc dispensationem.* — Additur vero in eodem cap. 1, in duobus casibus posse hunc ordinari. Primo si purgaverit suspicionem per ostensionem fidei et religionis. Secundo si

necessitas ministrorum urgeat. Quæri autem potest, an requiratur in his casibus dispensatio, et a quo danda sit. Glossa ibi significat non esse necessariam dispensationem, præsertim in priori casu, quia per sequens factum eliditur præcedens præsumptio, et quia in textu non fit mentio dispensationis. Sed hoc nimium videtur, quia illa præsumptio vel suspicio, cum sit juris, debet etiam juridice tolli. Alii ergo requirunt dispensationem Summi Pontificis, ut Maiolus supra, cap. 8. Sed hoc etiam est nimium, quia alias superflua erat illa declaratio; item quia si Episcopi prohibentur ibi ordinare talem personam, ita etiam conceditur pro illis casibus. Dico ergo necessariam esse, et sufficere dispensationem Episcopi, et hunc esse sensum illius limitationis, ut notant ibi Turrecremata et alii; Antoninus, Sylvester et Angelus supra. Sed quæres rursus, an utraque causa simul requiratur, vel singulæ per se sufficiant. Maiolus supra utramque requirit; Glossa vero et clarius Turrecremata quamlibet per se putant sufficere, quia in textu Gratiani disjunctive legitur, *aut*; quamvis in Voto Conciliorum varia sit lectio. Et de prima quidem non dubito, quin per se sufficiat; nam cum impedimentum hoc fundetur in præsumptione, ablatio præsumptionis est sufficiens ratio tollendi illud. De posteriori autem potest esse nonnullum dubium, quia Ecclesia debet habere satisfactionem de dignitate personæ, quæ ordinatur. Dico tamen tantum esse posse, ut sufficiat, quia hæc suspicio, quæ ex tali baptismo nascitur, non est tam vehemens, quin propter aliam urgentem causam maxime pertinentem ad commune bonum possit deponi; hujusmodi autem causa est hominum raritas, quia clericorum ordinatio est maxime necessaria communi bono. Et ideo in multis aliis casibus censetur sufficiens causa dispensandi, ut patet ex textibus, quos Glossa ibidem refert.

7. *An omnis, qui necessitate compulsus baptizatur, sit irregularis.* — Quæret vero ulterius aliquis, an hæc irregularitas extendenda sit ad omnes alios casus, in quibus aliquis necessitate compulsus baptizatur, ut per vim vel metum, quæ non excludat voluntatem baptismi (alias nullus esset locus irregularitati), sed reddat minus liberum et voluntarium. Tunc ergo est dubium, an cum tali baptismo inducatur irregularitas, quia de hoc non habemus jus expressum, et argumentum a simili ex prædicta lege Concilii

xxiii bis.

Neocæsariensis. invalidum est. In contrarium vero est, quia hoc non videtur argumentum a simili, sed ex identitate rationis, nam illa lex non fundatur in speciali ratione ægritudinis, sed formaliter in ratione necessitatis, quæ eadem vel major est in consensu per vim et metum extorto; ergo, considerata formali decisione illius textus, comprehendit etiam hunc casum. Atque ita sentit Maiol., cap. 10, cujus opinio quoad hanc partem videtur mihi satis probabilis. Et quidem experientia ipsa docet non expedire ordinare homines sic baptizatos, quia maxime inconstantes in fide inveniuntur, adeo ut non solum ipsi, sed etiam filii, et nepotes eorum cum eis educati, et ab eis instructi, eandem inconstantiam participare inveniuntur, etiam post multas generationes.

8. *Tertia exceptio Maioli.* — *Rejicitur.* — Ultimo extendit Maiol., supra, c. 9, exceptionem hanc, vel certe ponit tertiam generalem de receptione baptismi post culpabilem dilationem; dicit enim solam moram culpabilem, seu dilationem nimiam in suscipiendo baptismo inducere irregularitatem, etiamsi baptismus postea ante ægritudinem suscipiatur. Et non affert aliud jus præter dictum Concil. Neocæsariense, quod ita intelligi dicit a Glossa et Doctoribus. Sed profecto Glossa id non dicit, nec Doctores, quos ego viderim, suntque non pauci. Nec est consentaneum textui, quia de dilatione nec verbum habet, sed solum de ægritudine, et ratio, quam subdit, et supra explicata est, non habet locum in dilatione, si necessitas excludatur. Ratio autem, quam ille auctor excogitavit, scilicet, quia qui sic suscipit baptismum, præsumitur hoc facere, ut habeat majorem peccandi licentiam, et negligere propriam salutem, et consequenter ad baptismum in peccato accedere, hæc inquam ratio et per se insufficientis est sine jure, et ad fundandum tale jus parum urgens; nam licet dilatio baptismi signum esse possit licentioris vitæ, tamen hic ipse accessus ad baptismum est efficacius signum mutationis vitæ, potiusque indicat veram conversionem et mutationem, quam oppositum; non ergo sufficit dilatio, si postea mere libere baptismus suscipiatur, quia tunc non habet locum jus illud, et aliud non invenitur.

9. *Quarta exceptio.* — *Objectio solvitur.* — Quarta exceptio ponitur, si quis in loco, ubi peregrinatur, et est incognitus, baptizatus est. De quo extat canon 24 Concil. Eliber-

tini, et apud Gratianum, c. Omnes, 98 dist.: *Omnes, inquit, qui peregre seu in peregrinatione fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clericum non esse promovendos in alienis provinciis.* Ex his tamen verbis constat in primis hoc impedimentum non incurri ratione baptismatis, sed ob ignorationem vitæ, vel morum hominis sic baptizati; sæpe enim mores, qui baptismum præcesserunt, tam pravi esse possunt, ut impediant legitimam Ordinum susceptionem, donec de eorum emendatione sufficienti experimento constet. Fieri etiam potest, ut talis homo rebaptizatus sit, vel alias irregularitates habeat, quæ post baptismum manent; et ideo donec tale dubium, vel suspicio tollatur, non admittitur talis persona ad Ordines. Dices, hoc dubium esse mere negativum, in quo omnis, qui non probatur nocens, innocens est. Respondetur hoc esse verum quoad privatam æstimationem, et bonam de proximo opinionem, et quoad hoc ut nullum malum, vel pœna ei inferatur, non tamen ut alicui sacrum ministerium committatur, vel aliud simile munus aut officium; et ideo juxta Ecclesiæ consuetudinem antiquam, nemo admittebatur ad Ordines, nisi post accuratam inquisitionem, et testimonia vitæ illius, ut habetur in Concilio Carthaginens. IV, can. 22, et apud Cyprianum, epistol. 33, sumiturque ex Leone Papa, epistol. 87. Ad præterea, in eo casu non esse dubium omnino negativum, quia ille modus baptismi in peregrino loco præbet aliquam suspicionem ignotæ vitæ, præsertim cum quis velit in alieno loco, ubi incognitus est, ordinari; propter quod peregrini in universum prohibentur ordinari in alieno loco, sine sufficienti testimonio, cap. Inter, de Clericis peregrin.; Concilio Trid., sess. 23, c. 8 de Reform.; et ubi dubium augetur propter loci suspicionem, majus testimonium, majorque cautio postulatur, ut ex Sylvestro, Anastas. et Gregorio refert Gratianus in tribus capitibus, dist. 98. Constat igitur hanc non esse irregularitatem propriam baptismi, sed reduci ad infamiam seu dubiam famam; unde fit, ut nec sit universalis quoad loca, sed ubi fuerit tale dubium, propter quod in canone additur, *In alienis provinciis.* Neque etiam quoad tempora, quia exhibitio, vel comparatio bonæ vitæ testimonio, et ablato dubio, cessat impedimentum.

40. *Quinta exceptio.* — Quinta exceptio est, quando de alicujus baptismi dubitatur;

nam stante illo dubio, ad Ordines admittendus nemo est. Sumitur ex cap. Placuit, de Infantibus, de Consecr., dist. 4, quatenus dicit, eum, qui non probatur baptizatus certo testimonio, pro non baptizato habendum esse, quia de ejus baptismo dubitatur. In eo ergo casu non poterit quis cum tali impedimento ad Ordines promoveri. Illa vero non est specialis irregularitas aliquo jure lata, nullum enim extat; sed est quædam prohibitio ex natura rei; nam in re tam gravi non debet quis operari cum tali dubio; maxime cum res possit vergere in grave damnum aliorum. Deinde reducitur ad generale impedimentum ex fama dubia ortum. Nam si dubium procedens de dignitate personæ impedit Ordines, multo magis id faciet dubium de capacitate personæ; imo potest hoc reduci ad impedimentum incapacitatis, quam irregularitatis. Quando autem hoc dubium sufficiens sit, sumi potest ex his, quæ in 3 tom., disp. 22, sect. 2, tractavi; nam illud dubium, quod fuerit sufficiens, ut possit aliquis sub conditione rebaptizari, sufficiet etiam, ut non possit ordinari, donec vel tale dubium tollatur, vel baptismus iterum suscipiatur; dubium autem, quod adeo est leve, ut iteratam susceptionem baptismi sub conditione licitam non reddat, neque susceptionem Ordinum impedire poterit, quia primum vere constituit rem moraliter dubiam, non vero secundum.

41. *Sexta exceptio.* — *Exceptio non comprehendit baptizatos in infantia.* — Sexta exceptio est de his, qui baptizantur ab hæreticis, quos eo ipso esse impeditos ad Ordines suscipiendos, colligitur ex cap. Ventum est, 4, quæst. 1, ubi Innocentius I ait legem Ecclesiasticam esse, *ex his, qui ab hæreticis veniunt, et ibi baptizati sunt, neminem in clericatus honorem, vel exiguum subrogare.* Idem habetur ex cap. Qui in qualibet, 4, quæst. 7. Hoc autem impedimentum multis rationibus potuit imponi. Prima est in odium talis ministri hæretici baptizantis; atque hoc modo interpretatur hanc irregularitatem Maiol., lib. 2, cap. 42, citatque prædicta jura, in quibus nullum verbum est, quo hæc ratio insinuetur. Inde tamen infert, baptizatos ab hæreticis, etiam in infantia, manere irregulares; ita ut pervenientes ad ætatem adultam sine dispensatione ordinari non possint, quamvis talis dispensatio magna facilitate eis concedi debeat, cum adultis nunquam, vel raro concedenda sit; citatque in

hanc sententiam Gloss., in cap. Placuit, 4, quæst. 4, faventque generalia verba textus in dicto cap. Qui in qualibet ætate, etc. Nihilominus censeo, per se loquendo, omnes, qui ante usum rationis baptizantur ab hæreticis, non manere irregulares. Ita enim habetur expresse in dict. cap. Placuit, et in cap. Qui apud, 4, quæst. 4. Et hoc potius tenuit Gloss. ibi, et in dict. c. Qui in qualibet, ubi addit limitationem, *in qualibet ætate adulta, vel discretionis.* Et declaratur, nam cum hæc jura videantur opposita, ita sunt concilianda, ut rigor temperetur, et amplietur favor; quantum verba textuum patiuntur; sed hæc expositio et conciliatio favorabilior est, et magis accommodata proprietati legum. Nam priora decreta dicunt, infantem baptizatum ab hæretico posse ordinari; quod si subintelligamus posse ex dispensatione, frivola facimus illa decreta, quia hoc per se notum erat, præterquam quod posse absolute, non est posse ex dispensatione; et præterea, quia verba textus sunt: *Non impediatur, non debet impedire.* Melius ergo intelligitur, in alio textu esse sermonem de ætate adulta, quia cum sit lex pœnalis, optime refertur ad eos, qui sunt capaces culpæ. Quod satis etiam insinuant verba illa: *Quibus satis esse debet, quod in Catholicorum numero sunt recepti.* Hæc enim verba indicant rigorem et indignationem in eos, qui crimen hæresis admiserant, vel voluntarie cum hæreticis communicaverant.

42. *Quorundam limitatio conclusionis positæ.* — *Improbatur.* — Unde nec dicendum est priora decreta fuisse abrogata per dictum cap. Qui in qualibet, quod editum fuit a Felice III, cum Concilio Romano. Hoc, inquam, admittendum non est, quia ubi leges possunt conciliari, non est admittenda derogatio, præsertim cum non sit expressa, et priora decreta sint etiam auctoritate Romani Pontificis confirmata ut ex gestis Africani Concilii constat. Addunt vero aliqui limitationem, nisi infans baptizatus ab hæretico, postea in ætate adulta consenserit in illius hæresim. Ita refert Turrecrem., dict. cap. Placuit, qui de hoc nihil definit. Favere tamen videntur huic sententiæ verba illa capit. Quidquid: *Posteaquam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnita veritate falsitatem eorum abhorrentes, ad Ecclesiam Dei Catholicam recepti sunt.* Sed ibi non postulatur, ut postquam hi pueri pervenerunt ad ætatem adultam, nunquam consenserint erroribus eorum, inter quos geniti, et educati fuerint; hoc enim

moraliter loquendo, impossibile est; sed postulatur solum ut tandem aliquando agnita veritate errores deserant, et ad Ecclesiam convertantur. Quapropter non censeo esse necessariam illam limitationem quoad hanc irregularitatem; nam de alia, quæ incurritur ex peccato hæresis, postea dicemus.

43. *Irregularitas hæc non fundatur in dubio de baptismo ab hæretico dato.* — Alia ergo ratio hujus irregularitatis esse potest dubitatio, quæ de veritate baptismi ab hæretico collati sæpius habetur, et juxta hanc rationem irregularitas hæc non est distincta ab alia paulo antea tractata de dubio baptismo, sed continet tantum specialem quamdam rationem, ex qua potest oriri tale dubium. Sed non existimo esse hoc fundamentum illius irregularitatis. Primo, quia in jure ponitur ut specialis et distincta ab alia. Secundo, quia hæc ratio tam in infantibus quam in adultis locum habet. Tertio, quia hoc dubium non semper intervenit in baptismo ab hæretico dato. Et quando revera subest tale dubium, non tantum impedit Ordines, sed etiam omnia alia sacramenta, et propria munera hominis Christiani, quia talis homo non admittitur ab Ecclesia ut baptizatus, donec sub conditione iterum abluatur. Declaratur, quia vel hæreticus, qui baptizat, errat formaliter circa essentialia ritum baptismi, vel non; si non errat, non est, cur de veritate talis baptismi dubitetur; nam certissimum de fide est hæreticum verum baptismum conficere, si essentialia adhibeat; de quo non est cur dubitetur eo quod hæreticus sit, cum in hoc non sit hæreticus, ut supponimus. Neque etiam ulla est ratio dubitandi de intentione, nisi aliquod peculiare odium, vel quidpiam simile interveniat, quod contingere potest in quolibet malo ministro, etiamsi hæreticus non sit. Si tamen hæreticus formaliter erret circa essentialia baptismi, talis baptismus ab Ecclesia non recipitur, ut de Paulianistis, et aliis similibus tradit Concil. Nicænum, c. 19, et Concil. Arelat. II, cap. 46, et Augustin., contra Hæreses, c. 44, et de Eccles. dogmat., cap. 62.

44. *Sed in delicto suscipiendi baptismum ab hæretico.* — *Corollarium.* — Superest igitur, ut propria causa hujus irregularitatis sit crimen quod quis committit voluntarie suscipiendo baptismum ab hæretico; et hanc exceptionem admittimus in assertionem proposita. Ut enim alibi latius declaravi, peccatum, quod in ipsa actuali susceptione baptismi